



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Liber De Prudentia Ivstorvm**

**Juan <de Jesús María>**

**Coloniae Agrippinae, MDCXIV**

Cap. VI. De suauitate communicationis Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46940](#)

simam, & splendidissimam, qua nihil dulcius, & delectabilius cogitari potest, seraphicis ardoribus amate. Et ego Cælo serenior, & sole formosior, ero delitiosissima præda vestra.

## CAP. VI.

*De suauitate communicationis Christi.*

**S**UAVITAS conuersationis filij, charissimi, studiosissimè desiderari, & amari solet, & hæc ratio est, ob quā homines quantumuis deformes, in magno pretio habentur. Trahunt enim dulcedine mirabili alios, dum loquuntur, & cum eis versantur, quod experientia notissimum est. Si ergo hæc est hominum conditio, quid est, quod me, cuius conuersatio melle dulcior est, paucissimi filij Adę requirunt? Ego mitissimè recipio omnes venientes ad me: & à sæculo non est auditum, quod aliquem mihi adhædere copientem repellerem, vel importunitate molestarer. Ego cum infinita lenitate tracto, quos recepi, & illos benignissimè recreo. Ego dum loquor eis ad cor statuo procellas eorum in auram, & tristitiam omnem.

Omnem conuento in intima, & purissima gaudia mea. Diffusa est enim gratia in labiis meis, quorum melle, & lacte arida quoque ossa rigantur, & penè mortua, lœtissima vivificatione resurgunt. Ego fessis labore amicis meis ponno lœuam sub capite inclinato, & circumducta dextera amantissimè amplector illos, ut humiles, & pauperculos adstringam visceribus meis. Utinam homines saperent, & intelligerent magnitudinem dulcedinis, quæ percipiatur in secreta communicatione mea. Certè nollent amicos alios, vel consanguineos habere: sed toto corde suo, suspirarent ad me, omnisque illorum sollicitudo esset, ne forte proijcerem eos à formosissima facie, & dulcissima conuersatione mea. Interrogate filij, eos qui vel semel tantū mecum conuersati sunt in secreto meo; & videbitis, quibus flammis ardeant, & quoties aspirent, ad prægustatam consolationem, cuius comparatione, omnia mundi delectamenta vilescunt. Vno enim verbo, soleo ego animarum perturbationem inferno similem sedare; vnoque

L

similiter



242 De prudentia Iustorum.

similiter verbo multorū annorū pref-  
furas abundanter compenso. Vox dile-  
cti viscera dilatat , & cælesti delecta-  
tione replet. Iam ergo filij mei, respui-  
te hominum cōmunicationem , & Al-  
tissimo filio totis visceribus intentissi-  
mè vacate. Quārite lectulum Salomo-  
nis , & domum odoratam, cuius tigna  
sunt cedrina , & laquearia cypressina:  
& spretis hominum oblectamentis,  
diligite me, & percipite, clauso cubi-  
culo , purissimas delicias absconditæ  
amicitiæ meæ.

CAP. VII.

De amore Christi erga homines.

**T**ANTA est , filij charissimi , ma-  
gnitudo amoris mei erga vos , vt  
hæc sola potens fit ad corda ferrea  
mollienda. In charitate perpetua dile-  
xi vos , vsque in finem , ita vt amor non  
posset vltra procedere. Dedi pro vo-  
bis , factus Redemptor , & frater vester ,  
omnē substantiam domus meæ: & qua-  
si nihil despexi eam , quando in ciuita-  
te regia , & sacerdotali , operatus sum  
pretiosissimā salutem vestram. Beatus  
qui intelligit diuitias charitatis meæ ,  
quia

